BIBLIA LATINA, BD. 2
Salzburg (?), 2. Viertel 14. Jh. Seite 304r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



distat cum omni subiectione. Docere
enim mulieri non permitto neque dominari in
uirum sed esse in silencio. Adam enim
primo formatus est. Deinde eua et adam
non est seductus. mulier autem seducta
in preuaricatione fuit. Saluabitur autem
mulier per generationem filiorum dei si per
manserit in fide et dilectione et sancti
ficatione cum omni sobrietate.

III

Fidelis sermo
et omni acceptione dignus. Si
quis episcopatum desiderat bonum
opus desiderat oportet ergo episcopum irre
prehensibilem esse unius uxoris uirum
sobrium prudentem ordinatum pudicum
hospitalem doctorem non uiolentum non
percussorem sed modestum non litigiosum
non bilinguem non impudicum non cupi
dum sed sue domui bene prepositum filios
habentes subditos cum omni castitate.
Si quis autem domui sue preesse nescit
quomodo ecclesie dei diligentiam habebit
non neophitum ne in superbiam elatus
in iudicium incidat dyaboli. Oportet
autem illum et testimonium habere bonum
ab his qui foris sunt ut doctrinam do
mini nostri ornet in omnibus ut non
in obprobrium incidat et in laqueum
dyaboli. Dyaconos similiter pudicos non
bilingues non multo uino deditos non
turpe lucrum sectantes habentes minis
terium fidei in conscientia pura. Hii autem
comprobentur primum et sic ministrent
nullum crimen habentes. Mulieres pu
dicas similiter non detrahentes sobrias
fideles in omnibus. Dyacones sint
unius uxoris uiri qui filiis suis bene
presint et suis domibus. Qui enim
bene ministrauerint gaudium sibi bonum
acquirent et multam fiduciam in fide
que est in cristo ihesu. Hec autem scribo
fili tymothee sperans me uenire ad
te cito. Si autem tardauero ut scias quo
modo oporteat te in domo dei conuersari
que est ecclesia dei uiui columpna et fir
mamentum ueritatis et manifeste ma
gnum est pietatis sacramentum quod
manifestatum est in carne iustificatum
est in spiritu apparuit angelis predi
catum est gentibus creditum est mun
do assumptum est in gloria.

IIII

Spiritus autem
manifeste dicit quia in no
uissimis temporibus discedent
quidam a fide attendentes spiritibus
erroris et doctrinis demoniorum in
ypocrisi loquentium mendacium et cau
teriatam habentes suam conscientiam
prohibentes nubere docentes absti
nere a cibis quos deus creauit ad per
cipiendum cum gratiarum actione
fidelibus et his qui cognouerunt ueritatem
quia omnis creatura dei bona est et
nichil reiciendum quod cum gratiarum
actione percipitur. Sanctificatur
enim per uerbum dei et orationem. Hec pro
ponens fratribus bonus eris minister
ihesu cristi enutritus uerbis dei fidei
et bone doctrine quam assecutus es.
Ineptas autem fabulas deuita et exer
ce autem te ipsum ad pietatem. Nam et cor
poralis exercitatio ad modicum utilis
est pietas autem ad omnia utilis est
promissionem habens uite que nunc est.

304